

Administrationem ex iustitiæ obligatione. Citat etiam adductus Pater Theologos alios suppresso nomine in Additionibus 3. p. q. 8. artic. 5. vno tantum P. Martinez nominato. Licet ergo contrarium teneant communiter Doctores, vt videri potest apud P. Fagundez Lib. 7. in Secundum Ecclesie Præceptum Cap. 2. num. 38. Martinon Tom. 2. in 3. p. Disputat. 73. num. 33. & Bassæum supra num. 10. Quia tamen probabile illud est, ad probabilitatem positionis, de qua loquimur, non incongruè potest applicari.

Ex ordinatione, iuxta quæ dispensandi facultas cum Superioribus concelebratur, obicitur.

191 Neque prædictis obstare debet id, quod habetur in Ordinatione pro Provincialibus Cap. 1. Ordinationum num. 22. vbi ita dicitur: Confessarij Superiorum, absente Provinciali, dispensare cum illis possunt in cibis vetitis, horis Canonicis, irregularitate, & similibus, eodem planè modo, quo Superiores cum suis subditis. Eademque erga Provinciales facultas eius Confessario conceditur. Claudius. Quæ ordinatio cum aded generalis sit, & pro lege communi proposita, non est opus ad Epistolam R. P. Generalis, & testimonium P. Granadi recurrere, vt est apud P. Quintanam Tomo. 1. Tract. 3. Singulari 24. num. 4. vbi concludit quod Socius Provincialis, qui est eius ordinarius Confessarius dispenset in prædictis cum ipso, haberi inter Ordinationes à Septima Congregatione approbatas: quasi non etiam quod ad Superiores locales pertinet, ibidem habeatur. Ad quod dicendum à R. P. Generali assignari modum securum ad habendam dispensationem, sed non vnicum: neque enim eius intentionis fuit tot Doctorum grauissimorum sententias à praxi Societatis ablegare.

Fit illi factus.

Circa aliorum privilegiorum cum nonnullis.

Non remanere facultatem absoluenti à reuerentiis.

Satis fit infantia.

192 Iuxta dicta ergo poterunt ij, qui Superioratu perfuncti sunt, sacras vestes, altaris lintea, & Corporalia benedicere. Quod quidem, dum iter faciunt, erit quandoque conueniens, immò & decoro ipsorum necessarium. Cum enim videant Indorum Parochi aliorum Ordinum Religiosos, immò & hesternos Sacerdotes, iuvenes, & inexpertos, benedictiones istas privilegij interuentu passim impertire; mirari profecto poterunt viros in Societate grauiſſimos, & sapidi Prælatos, impotentiam ad huiusmodi functiones allegare. Quod quidem ipsis non potest non indecorum accidere, quidquid circa impotentiam dictam exultationis pergant adhibere. Et similiter est in nonnullis aliis discurrendum. Nec tamen ex hoc deducere quicquam debet, in eo, qui Superior fuit, remanere facultatem absoluenti à reuerentiis, quia talis facultas in Superioribus non habetur per privilegium, sed ratione officij. Quemadmodum neque facultas remanet ad dandum & accipiendum, quam ipse forsitan aliquibus cum aliqua generalitate concessit: quia & hæc ratione officij conuenit, & sic alia. Nec dici potest ex eo fieri vt peioris maneat conditionis, cum ea non possit, quæ possunt alij, quibus est ipse facultatem dilargitus: ex quo Nos superius pro permanentià privilegiorum arguebamus. Nam concessionem dictæ aduentu noui Superioris cessant, ipso eas reuocante, iuxta morem Societatis: de quo P. Quintanad. supra Singulari 21. num. 5. Quod si concedat iterum, non erit certè illas iis, qui eas concesserant, negaturus. Quod

quidem circa privilegia non ita accidit, quia illa non à Superioribus localibus generaliter communicari solent, sed à Generali, vel Proutiniali, vnde non est ita facilis conditionis æqualitas. Et quia etiam inæqualitas aliqua sequatur, ea est officij naturam consequens, cum Superiori proprium, sit facultates concedere & licentias: de privilegijs autem diuersa est ratio, quia illa iuxta qualitates personarum conferri æquissimè est, dignitate illarum attentà, ex meritis sapientiæ & probitatis. Nec de his plura, vt ad specialia privilegia gradum faciamus.

DE PRIVILEGIIS INDORVM CIRCA SACRAMENTA.

CAPVT VIII.

De Priuilegijs circa Baptismum.

Nonnulla circa illum discutienda succurrunt, & pro ipsis occurrunt

DIFFICULTAS PRIMA.

An quævis necessitas in Indis pro Baptismi receptione sine solemnitate sufficiat.

193 Circa hoc extat Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. concessio, de qua in Compendio. Verb. Baptismus. Et in Bulla Urbani, quæ incipit, Cum sunt accepimus. Quia verò temporalis fuit, si privilegium est opus, ad aliud recurrendum. Et P. Quintanad. Tomo 2. Tract. 6. Singulari 11. Verb. Baptismus. adducit Bullam Leonis X. à se relata Singulari 3. num. 7. vbi relatio illius nulla. Adducit item Bullam Innocentij Quarti, quæ est non vigesima illius apud Emmanuelem: vt ipse ait, sed 19. in qua sic loquitur: Presentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris, quæ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, proponere verbum Dei &c. Et ipsos, seu etiam alios conuerti ad vnitatem fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesie filijs valeatis. &c. Sic ille Prædicatoribus infidelium, hæreticorum, & schismaticorum. Vbi tamen dubium circa infantes occurrit, quia concessio dicta de solis videtur adultis procedere. Sed cum fauorabile privilegium sit, ad illos est etiam extendendum, si quidquam speciale in hac parte concedit: illi enim etiã dici possunt ad vnitatem fidei Christianæ conuerti, cum è diaboli seruitute, & diuisione ab Ecclesie vnitatem, in qua sunt ratione communis talium gentium status, ad vnitatem Christianæ fidei, quam habitualiter recipiunt, conuertuntur. Pro quo facit doctina Emmanuelis Roderici Tomo 1. qq. regul. q. 31. art. 3. de Indijs loquentis: quod licet in particulari nouiter conuersi dicantur, qui iam adulti sunt baptizati: nihilominus in generabili consideratione illam noui huius Orbis Ecclesiam in Deo adunatam, omnes & singuli illarum partium nouiter conuersi apparebunt: quod fidei ministrorum Euangelicorum apud eos laborantium testimonio comprobatur.

Innocentius IV. quod concedit ad infantes extendendum.

Emmanuelis ac commodata doctrina.

probat: Hæc ille alijs; & eidem concinens Miranda in Manuali Tomo 1. quæst. 43. artic. 2. s. Præter de quo & postea: sed, vt dixi, causa potest præsentij accommodari. Videtur autem in prædicta concessione nihil haberi speciale ad intentum, quia tantum conceditur id, quod est ad conuersionem necessarium, & illius præcipuum fundamentum: baptizari inquam, conuerti cupientes: circa modum autem nihil dicitur, vnde recepto Ecclesie mori videtur relinqui. Nihilominus rectè potest concessio dicta, cum aded fauorabilis sit, & privilegij aliquid contineat, ad omnem modum extendi, qui ad conuersionem conuenientior fuerit iudicatus; vnde & ad Baptismi collationem sine solemnitate, si id visum fuerit expedire.

Quid Innocentius concedat.

Bulla Adriani VI. quæ concedat.

194 Adducitur etiam pro eodem Bulla Adriani Sexti Ann. 1522. quæ dicitur Oranmoda, in qua ad petitionem Caroli V. Imperatoris, & Hispaniarum Regis, concessit vt Prælati Ordinum Mendicantium, & alij, quibus ipsi de Fratibus suis in Indis commorantibus, duxerint committendum, tam quoad Fratres suos, & alios cuiuscumque Ordinis, qui fuerint ad conuersionis opus deputati, ac super Indos ad fidem Christi conuersos, quàm etiam ad alios Christianos ad dictum opus eosdem committentes, omnimodam auctoritatem Apostolicam, tantam, quantum ipsi, & per eos deputati de Fratibus suis, iudicauerint opportunam & expedientem pro conuersione Indorum, & maintenance, ac profectu illorum in fide Catholica, & obedientia Romanæ Ecclesie. Quod privilegium quoad forum conscientie, non esse reuocatum affirmat Emmanuel Rodericus supra. quæst. 20. art. 9. in fine. Et quoad vtrumque forum vim suam retinere asserit Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum fol. 125. pag. 1. de quo alia, Iuxta illud ergo licet baptizare Indos Religiosis privilegiatis, prout opportunum iudicauerint. Sed difficultas proposita locum adhuc obtinet, an scilicet quævis necessitas debeat sufficiens iudicari. Refertur item Urbani Octauæ concessio: sed illa est iterata fuerit Pauli V. gratia, iam ante annos aliquot expirauit, vt recognoscit generaliter de illius Pontificis concessionibus ipse Pater Quintana. Singulari 3. licet Singulari 2. num. 4. vbi tenore concessionis adducit, nullam temporis limitationem adhibeat, scribentium incuriã. Sunt etiam privilegia Pauli Tertij, & Pij V. de quibus dictus Fr. Emmanuel Artic. 3. citato, vt in omnibus Monasterijs Ordinum, vel extra illa, in locis ipsarum partium ipsi deputatis, possint Religiosi baptizare. Vbi de gradu necessitatis nihil, vt solemnitas possit prætermitti. Pro quo

Privilegia alia.

Afferio 1. Quamlibet rationabilem necessitatem sufficere.

Afferio 2. Id sine privilegio.

195 Dico Primò. Quælibet necessitas, quæ verosimiliter videatur vrgere, sufficiens est vt Indi possint sine solemnitate baptizari. Id constat ex adductis privilegijs; cum enim facultatem in ordine ad hoc concedant absoluit loquendo ita, debet profecto intelligi, vt numer. 193. dicebamus. Et privilegio illo Innocentij Quarti non fruuntur Religiosi, Sed quicumque alij conuersioni Indorum deputati, quales sunt Indorum Parochi, & ad titulum Indorum etiam ordinati, quamuis Parochi non sint.

196 Dico secundò. Etiam sine privilegio aliquo baptizari Indi sine solemnitate possunt, Theſauri Indici. Tom. II.

necessitate qualibet occurrente, quæ talis in alijs non sufficiens haberetur. Probat. Quia minus aliquid pro ipsis exigitur, iuxta dicta, & præterea periculum esse potest, si baptismus pro infancibus differatur, ob socordiam matrum eos suffocantium inter dormiendum, aut verentium, si semel repulsa, eos iterum ministris sacris præsentare, etiam morbo videant laborantes, de cuius vi ferre iudicium nequeunt: vel si morientes videant, iam fortè Baptismi opportunitas, ob Ministri defectum, auolauit. Quia verò etiam respectu adultorum tale aliquid potest accidere, circa illos similiter est philosophandum. Pro quo faciunt quæ habet P. Quintanad. Tomo. 1. Tract. 1. Singulari 20. num. 3. Quod ergo Pontifices in concessionibus pro Societate adductis dicunt, posse scilicet Nostros extra Ecclesias, & sine consuetis ceremonijs, quando ipsi iudicabunt ad maius Dei obsequium fore: quoad hæc non habet rationem temporalis concessionis; quando scilicet necessitas exigit, talis prudenter iudicata, sed absolutæ declarationis, quæ quidem eatenus tantum esse temporalis potest, quatenus statim additur: Propter paucitatem operariorum, & incommoditates, quæ se offerunt: hæc enim ad necessitatem non videntur pertinere. Quamquam & rationes illæ tales sunt, vt sufficere etiam ad prædictum effectum possint. Quis enim dubitet propter paucitatem operariorum, & incommoditates occurrentes, posse Baptismum sine ordinarijs solemnitatibus ministrari? Solemnitates enim accidentia quædam sunt, sine quibus stare tota substantia & Baptismi effectus possunt: vnde propter eas non debet periculo amissionis exponi: quod sanè contingeret, si paucitate operariorum existente, circa ceremonias nimis occuparentur: tunc enim non posset omnibus satisfieri, & ita substantia propter accidentia relicta, in maximum plurium damnum redundaret. Quod item accideret si incommoditatibus se offerentibus, circa ceremonias esset insistendum, defatigatio enim operarios breui consumeret, vel ad animarum salutem vix relinqueret efficaces. Vnde existimare quis posset concessionem dictam ob sedandos aliquorum scrupulos à Sede Apostolicâ prodidisse: nisi huic cogitationi obstaret fuisse illam temporalem, & breuioris æui quam alia: ad decennium enim à Pio V. & Gregorio XIII. solum facta reperitur: licet ab Urbano decennium fuerit duplicatum: quæ enim tales sunt, videntur futuræ perpetuæ. Nihilominus vt temporalis esset, rationem aliquam potuerunt habere Pontifices, vt scilicet cura petendi illam, in ministerio tanto operarios redderet attentiores. Verum Pontifices alij circa hoc liberaliores, Operariorum labores, hac voluerunt indulgentiã munerari, & Indorum salutem abundantius subuenire. Omnes tamen pie, sanctè, & prudenter, in suis sensibus abundauerunt.

utilitatis hinc.

Pontificum mens.

Concessio quomodo temporalis.

DIFFICULTAS II.

An alij præter Parochos sine eorum licentiâ possint Indos solemniter baptizare.

Posse Religiosos solemniter baptizare sine licentiâ Parochorum, quæ qualiter probent.

197 Affirmant Emmanuel Rodericus Tomo Baptista in Animaduersionibus pro Indorum Confessionibus, fol. 199. pag. 2. num. 40. P. Quintanad. Tomo 2. Tractat. 6. singulari 11. ob priuilegia Pauli III. à Pio V. confirmata, de quo num. 194. Addit Fr. Emmanuel, quem Fr. Ioannes Baptista ferè semper ad verbum referre, & transcribere solitus, & sequitur etiam Miranda supra, & art. 5. s. Secundo dico, quod Fratres solum debent baptizare in Ecclesiis Monasteriorum sui Ordinis, in quibus habitant, etiam in ciuitatibus seu oppidis Hispanorum, vt sit Mexici, & in locis, quæ habent de visita, vt vocant. Nam indecens esset quod Sacramentum, quod tantas cæremonias & solemnitates publicas petit, administraretur in alienâ Parochiâ sine licentiâ proprii Parochi, quia sic confunderetur Ecclesiasticus ordo contra Sacros Canones Cap. Perennis 11. q. 1. Quod si Papa particulariter non exprimit in concessione, nullo modo debere intelligi, vel deduci ex concessione generali, vt est concessio Pauli III. numquam enim Papa in generali concessione vitus est alicui præiudicare. Et addit non esse dubium quod in Ecclesiis Fratrum supradictis possit fieri Baptismus; aliàs concessio Pauli III. suum effectum non conſequeretur. In quibus etiam baptizare possunt Indos aliorum populorum, siue Clericorum, siue alterius Ordinis: quia sic factum fuit à principio in his Prouincijs, vt constat ex testimonio virorum grauium, qui ex illis partibus in Europam remearunt. Hæc omnia dicit Fr. Emmanuel. Quibus non obstantibus

Affertio 1. id negans, ubi sunt proprii Parochi.

198 Dico primò. Vbi Parochi sunt, quorum curæ Indorum populi sunt commissi, nequeunt Religiosi sine speciali eorum licentiâ, aut eorum, qui concedere illam iure possunt, Baptismus solemniter conferre. Sic P. Suarez Tomo 4. de Religione, Tractat. 10 Lib. 9. Cap. 4. num. 6. P. Escobar de Mendoza Tomo 2. Problematum moralium, Lib. 11. n. 388. & alij. Id probò; quia sine priuilegio id facere graue peccatum est, quandoquidem usurpatus est Pastoralis officij in re admodum graui: vnde etiam à proprio Parocho nequit Baptismus sine solemnitate conferri extra calum necessitatis, vt cum Dominico Soto, & communi Doctorum fatetur Emmanuel supra, & Miranda de Indijs loquens Art. 3. s. Extra casum: pro quo & videri potest P. Suarez Tomo 3. in 3. p. Disp. 31. Sect. 5. s. Tertium Caput, qui vt certum id proponit. Atqui vt sic fieri debeat, priuilegium non extat: ergo nequit absolute fieri. Maior iam constat, & Minor ostenditur: Quia priuilegia, quæ suffragari poterant, ea sunt, de quibus dictum num. 193. & 194. illa autem non suffragantur, quia circa casum, de quo loquimur, non disponunt. Ostendatur enim vbinam concedant Pontifices, quod Parochis populorum extantibus

Religiosi queant eorum Parochianos solemniter baptizare. Nullibi certè hoc reperietur, sed generales quædam concessiones, quæ cum præiudicio tertij intelligendæ non sunt, iuxta doctrinam communiter receptam, & ex quâ arguitur citatus Emmanuel ad probandum Religiosos non posse in alienâ Ecclesiâ solemniter baptizare, vt vidimus num. præced. & ille quidem concessioni Pauli III. à Pio V. confirmatæ præsertim innititur, propter verba illa: *vt in omnibus Monasterijs Ordinum, vel extra illa, in locis ipsarum partium ipsi deputatis possint Religiosi baptizare.* Sed certè non vrgent, quia ibi de Parochis est sermo: ad instantiam enim Philippi II. dictus Pontifex concessit vt in partibus Indiarum parochorum possent officium exercere: & talis quidem cura in Monasterijs sustineri potest, si sic Patrono ardeat, aut in locis alijs, vt communiter accidit, dum Indorum populis Religiosi Parochi deputantur. Non ergo ex dicta positione potest elici idem esse de non Parochis accipiendum. Vnde Bullam dictam quatenus non videtur id reuocare, quod ante huiusmodi deputacionem ad Parochialem curam in vsu erat, tantum habere locum in locis vbi est defectus Parochorum, declarauit Innocentius X. in Breui circa controuersias cum Episcopo Angelopolitano, de quo numer. 181. & licet, vt ibidem diximus, Breue illud non videatur generalem decisionem continere, sed quæ tantum controuersiæ partes attingat, quod nec scimus hucusque fuisse executioni mandatum, nam supplicatum de eo, & Audientia Mexicana circa hoc est interpellata. Nihilominus circa casum præsentem multum videtur habere momenti, quia decisio generalis est, & cum Regularibus absolute loquitur. Et vt circa alia sustineri responſio illa possit, non tamen circa Baptismi solemnitate, quia necessaria non est talis facultas ad fidei propagationem, vbi Parochi designati sunt; sicut esse potest pro Baptismo non solemniter, ob rationes adductas numer. 196. & pro Sacramento Pœnitentiæ. Quod autem citato numer. 181. dicebatur circa Parochorum defectum, semper scilicet illum occurrere, in causâ præsentis non habet locum: nam ad baptizandum solemniter talis defectus non est, neque Indi suos Parochos ea in functione deuitant. Id autem quod diximus certius est, si de baptismo eorum agatur, qui ex parentibus fidelibus nati sunt: circa adultos autem nouiter conuersos probabilis est opposita assertio, quia illi Parochis non sunt subiecti, & ita eisdem, dum baptizantur, nullum præiudicium generatur. Et hoc sibi esse valde probabile affirmat P. Suarez Cap. 4. citato, num. 7. licet contrarium vt securius amplectendum dicat num. 8. quando scilicet tales conuersi intra diocesim aliquam degunt, eo enim ipso ad curam Pastorum pertinent pro eadem positorem. Et P. Suarium sequitur P. Escobar supra, num. 389. sicut & P. Palaus Parte 4. Tractat. 19. P. 9. num. 3.

Verba priuilegij Py

Breue Innocentij X. vt conferat ad intentum.

Affertio 2. consuetudinem circa hoc vti priuilegium generaliter extendi.

199 Dico secundò. Si consuetudo alicubi legitime præscripta inueniatur, vt Religiosi fontem habeant baptismalem, cum tamen Parochi non sint, vt de Mexicana Prouincia affirmare vidimus Fr. Ioannem Baptistam num. 197. possit quidem

quidem illud alicubi praticari, iuxta dicta n. 116. ibi enim varia Pontificum priuilegia occurrunt, pro amplissima eorum communicatione. Habet autem prædicta consuetudo rationem priuilegij specialis, quatenus vel scientiam & patientiam legislatoris importat, vel etiam eam ignoret, eidem per dispositionem Iuris statuentis requisita consuetudinis, illi vim tribuit: vnde videtur habere rationem specialis concessionis: quia consuetudo in fauorabilibus nomine priuilegij venit, vt ait P. Suarez Lib. 8. de Legibus, Cap. 7. num. 7. & 10. & alij quos adducit P. Quintanad. Tractat. 5. singulari. 4. num. 8. Quod quidem est iuxta communem sententiam, quam cum multis tenet idem P. Suarez Lib. 7. de Legibus, Cap. 13. num. 7. Vnde perinde est ac si id, quod consuetudine habetur, legislator expresse concessisset. Et Doctores hanc sententiam tenentes, de consuetudine loquuntur circa ea, quæ ius Canonicum concernunt, vnde & de Pontifice, illius auctore. Cap. vlt. de Consuetudine: vbi duæ tantum conditiones ad consuetudinem Ecclesiasticam requiruntur, quod scilicet sit rationabilis, & legitime præscripta. Eo ergo ipso quod Pontifex sic statuit, circa consuetudines omnes duabus illis qualitatibus prædita, censetur præbere consensum. Pro quo & sunt quamplures alij, quos adducit Diana Parte 6. Tractat. 5. Resolut. 13. & videndi P. Thomas Sancius Lib. 7. de Matrimonio, Disp. 4. num. 11. & P. Palaus Tomo 1. Tractat. 3. Disp. 3. Puncta 2. s. 4. numer. 3. Quod quidem videtur specialem vim habere, cum consuetudo priuilegio innititur, quod sic ipsa interpretatur consuetudo. Tunc enim non tam consuetudo, quam priuilegium ipsum videtur præualere, quod sic esse intelligendum consuetudo firmavit, quæ optima est legum interpretis. Cap. Cum dilectus, de consuetudine. Vnde Doctores quatuor modos interpretationis priuilegiorum esse dicunt, scilicet ab ipso priuilegiante, per sententiam iudicis, doctrinaliter per Doctorem Consilia, & per consuetudinem. Et hanc maximè debere attendi, etiam cum agitur de iure tertij, obseruat Syluester Verb. Priuilegium, num. 3. & pro eo adducit Cap. Cum dilectio, de Consanguinitate. Vbi tamen de interpretatione priuilegij non est sermo, sed legis consanguinitatis gradus, quibus matrimonium impeditur statuentis, circa quos Pontifex ait receptæ esse consuetudini deferendum. Argui ergo ex eo pro priuilegio licet, quatenus est priuata lex, & ita more legis interpretationem habiturum. Quod quidem licet probabile sit, non tamen videtur ad praxim adducendum, quia neque necessarium est pro conuersione Indorum promouenda, & litibus occasionem præstat inter Religiosos ac Prælatos sæculares, quas oportet penitus amputari. Et quidem in Peruuio, & adiacentibus Prouincijs talis consuetudo non extat, neque permittuntur Religiosi fontem baptismalem habere, etiam pro mancipiorum filijs, & adscriptitijs seruis, vulgò *Ianacons*, & quod in nonnullis partibus circa hoc fuerat introductum, Prælati & Patrono agentibus, est prorsus abrogatum. Pro quo & est Decretum Concilij Tertij Limentis Actor. 2. Cap. 12. vbi sic habetur: Regularibus, præterquam in Indorum oppidis, vbi Parochorum munus exercent, Baptisteria habere, aut præ-

Fauorabilem rationem priuilegij habere.

Quis consensus legislatoris ad consuetudinem sit factus.

Quatuor modi interpretationis priuilegiorum ex quibus præcipuus consuetudo.

Cap. Cum dilectio,

de consanguinitate, vt conferat ad intentum.

Concilij Limentis Decretum.

ter necessitatem baptizare, aut matrimonia copulare, sacri Canonibus prohibent. Id ita fieri hæc sancta Synodus valde commendat; ne scandala in Ecclesiâ ab his fiant, quos maximè oportet exemplo humilitatis alijs præstare. Hæc Concilium: non iubens suæ jurisdictionis conscium, sed commendans ob scandalorum experientiam: vnde nihil contra priuilegia pronuntiatum.

200 Dico tertio. Virtute priuilegij Innocentij IV. de quo num. 193. quicumque Evangelici ministri, etiam Religiosi non sint, in partibus vbi Parochi non sunt, possunt solemniter baptizare. Sic citati pro Assert. 1. licet priuilegij præfati non meminerint in speciali. Et constat ex tenore Bullæ, quia generalis ad omnes est: & licet solemnitas non videatur necessaria, potest tamen ad effectum auctorizandi Sacramentum conferre, vt sublimem de illo conceptum, qui conuertuntur, efforment. Quod si aliquid desit ex iis, quæ Ecclesiasticâ lege requiruntur, non idè est illicitum cum alijs ipsum ministrare: si enim non est illicitum sine omnibus, quæ ad solemnitatem spectant, neque erit sine aliquibus; quia cui licet id quod plus est, licet etiam quod est minus, ex Regulis Iuris in Sexto: quando scilicet plus & minus in eodem genere sunt, & præsertim quando vnum est pars, vel quasi pars, vt dictum alias: & hic est cernere, vbi id, quod non suppetit, solemnitatis totalis portio est.

Affertio 3. ubi non ad sunt Parochi, licet solemnitas Baptismalis.

DIFFICULTAS III.

An pro filijs Regularum apud Indos extet aliquod priuilegium circa Baptismum.

201 Baptismus in Ecclesiâ debere conferri, quando solemniter ministratur, communis omnium sententia est, qui oppositum sine mortalis peccati reatu fieri non posse determinant. Pro quo est Decretum Clementis V. in Concilio Viennensi, & habetur in Clement. 1. de Baptismo, qui ab hac generali obligatione Regum ac Principum filios exemit. Quod autem non Principum quorumlibet, sed magnorum esse debeant, exposuit Paulus V. in Rituali circa Sacramenti huius administrationem. In explicando autem quinam Principes, aut magni sint Principes dicendi, diuersa sunt scribentium placita, vt videri potest apud P. Quintanam Tomo 1. Tractat. 1. singulari. 21. vbi ipse iuxta propriam sententiam statuit omnes filios ac nepotes Ducum, Marchionum, Comitum, & Vasallos habentium, qui Tituli dici solent, Vice-Regum, Oratorum Regiorum, & Pontificis, Præsidis Regij Senatus, & fortè aliorum, vt Ordinum, Indiarum, Belli, & Iustitiæ, dum hoc munere ac familiaris splendore fruuntur, ac iis similes, eo nomine comprehendendi non esse improbabile. Et quod ad nepotes attinet, ex nonnullis auctoritatibus ostendit filiorum nomine comprehensos. Iuxta hæc ergo existimare quis posset filios Regularum apud Indos, qui scilicet gubernatores Prouinciarum sunt, & etiam qui in oppidis pro potentatibus habentur, iuxta gentis morem, eodem posse priuilegio gaudere. Videntur enim illi potentatibus Hispaniæ, & aliarum Christiani Orbis Prouinciarum respondere,

Obligatio baptizandi solemniter in Ecclesiâ sub mortali.

Principum nomine qui veniant in exceptione, iuxta nouam opinionem.